



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

Epistola LXIX. Leonis Papae I. Ad Marcianvm Avgvstvm. Alexandrinum episcopum sibi ab imperatore commendatum summa ostendit laude dignum, dum suam ad Flavianum epistolam profitetur. Talem epistolam,

...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

EPISTOLA LXIX.
LEONIS PAPÆ I.
AD MARCIANVM AVGVSTVM.

Alexandrinum episcopum sibi ab imperatore commendatum summa ostendit laude dignum, dum suam ad Flavianum epistolam proficitur. Talem epistolam, ad hæreticorum nequitiam retundendam, rogat vt in Græcum sermonem fideliter iubeat transferri, suo annulo muniri, & sic ad Alexandrinos transmitti.

Leo episcopus Marciano Augusto.

PVRITATEM fidei Christianæ, qua clementia vestra præfulget, etiam his literis, quas frater & coepiscopus meus Nestorianus detulit, demonstrastis; iustissime fratri meo Proterio Alexandrinæ vrbis antistiti impendentes fauorem, quo mihi per omnia esset acceptior. Nam cui vestra pietas testimonium perhibere dignatur, indubitanter esset probandus, etiamsi taceret. Sed accedit ad gratiam, quod proprio quoque sermone cognoscatur, & quam sincerus sit catholici dogmatis prædicator, ipsius professione clarescat. Vnde plenissimo affectu dilectione orthodoxi fratris amplector, & Deo gratias ago, quod amoto eo qui euangelio Christi voluit contraire, & a sanctorum patrum intelligentia dissentire, talem prospexit Alexandrinæ ecclesiæ sacerdotem, qui præcedentibus rectoribus & fide concordaret & vita. Nam cum amplecti se epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum contra Eutychem impium misi, toto corde proficitur, quid aliud, quam apostolorum se discipulum ostendit? quoniam doctrina veritatis in lumine suo permanet, & non potest esse diuersum, quod vnum est atque diuinum. Rescripsi itaque prædicto fratri quod debui: atque in sancto studio vt perseueraret admonui. Qui sine dubio constantior erit, si etiam clementiæ vestræ cohortationibus adiuuetur. Nec in aliquo eum terreat quorundam imperita dissensio, quos paucorum hæreticorum instigationibus ignorantia facit obnoxios. Quod sua ergo negligentia assequi nequeunt, opportune eorum insinuetur au-

Concil. Tom. 7.

T ij

ditui. Et ne^{*memo-} memoratis noua inferre, & propria videatur ^{ratus} adstruere; venerabilium patrum, qui eidem ecclesiæ præfuerunt, scripta relegantur: & quid B. Athanasius, quid Theophilus, quid Cyrillus, quid etiam orientales magistri de incarnatione Domini senserint, recognoscant. Nec repullulantibus decipiantur erroribus, qui olim euāgelici sermonis sunt virtute prostrati. Quoniam omnes fere hæreses, quæ diuersis temporibus extiterunt, dum sacramentum corporeæ natiuitatis, & passionis, ac resurrectionis Christi non intelligunt, ab euangelio deuiarūt. Et possemus minus laborare in hæreticis repellendis, si rudes animos ipsa non turbarent mendacia, quæ peremit antiquitas. Sed nunc (vt dixi) hic docendi optimus modus est, vt paternorum sensuum linea Alexandrinæ plebis & cleri auribus innotescat: ac si qui sunt qui nostra scripta despiciant, illis saltem, qui nobiscum apostolicis sensibus congruunt, acquiescant. In quo opere multum confacerdotis nostri deuotione gaudebo, & semper ipsius vnanimitate lætabor: quia fraterna pax non nisi vna fidei confessione seruatur. Quia vero quorundam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandam aliorum simplicitatem, epistolam meam, quam ad beatæ memoriæ Flavianum dedi, falsasse perhibetur, vt commutatis quibusdam literis vel syllabis receptorem me Nestoriani erroris assereret; obsecro venerabilem clementiam vestram, vt eandem epistolam per fratrem meum Iulianum episcopum, vel eos, quos idoneos ad hoc opus pietas vestra delegerit, in Græcum sermonem iubeatis integre diligenterque translata, per idoneum latorem sub vestri signaculi impressione deferri, tradendam iudicibus Alexandrinis, qui eam clero & plebi ipsius ciuitatis, cum prædictorum episcoporum prædicationibus, qui & meo scripto consentiunt, faciant recitari: vt agnoscant se fallacium hominum fraude vltius decipi non debere, & probentur apostolicæ sedis sinceri esse discipuli, apud quam nec Eutyches nec Nestorius vllum obtinent locum: quia sicut alios hæreticos, ita & istos ecclesia vniuersalis damnauit. Data quinto Idus Martii, Aetio & Studio viris clarissimis consulibus.